



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

§. 1. Tentatio de tentationibus à Deo permissis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

triumphalem, quàm æterna supplicia promereri. Ideò namq; tempus illud agón vocatur, quia in illo certatur pro re summi momenti. Neque sine gravissimis causis illud certamen permittit cælestis Agonothera, qui ut omnem vitam hominis vult esse tentationem; ita neque in termino vitæ vult nos esse immunes, ut semper vigilemus. De tentatione igitur paulò altiùs est disputandum.

CAPVT LIII.

Iusta Dei esse iudicia, quando homines tentari permittit, siue vincant, siue victi resurgant.

Rigus, famem, sitim, carceres, morbos, mortes corporum, habere in diuina prouidentia locum, facile fuit ostendere; rectè enim illis vitur summa illa & dominatrix potestas ad virtutis exercitationem, aut malorum facinorum pœnam. Illa maior est quæstio: An diuini iudicij æquitas pati possit, ut homines labantur in tentationem? Siquidem, teste Iob, *Militia est vita hominis super terram*, seu, ut alia habet transcriptio: *Tentatio est vita hominis super terram*, nec vita tantùm, sed etiam mors hominis est tentatio, quæ cùm plena sit periculi, plena est etiam quæstionis; magis, quàm si de fame, siti, morbis, alijsq; malis agamus. *Accidentibus illis corporis malis afflicti homines ad DEVM plerumq; confugiunt, misigant, obsecrant, credentes eum posse has injurias propulsare*; at quid iuuat in peccatum cadere? quid tentari? an non, qui scandalum ponit, videtur esse causa ruinæ? Ita de ipsis tentationibus à DEO vel permissis, vel immixtis quidam tentantur. Et certè, *quàm diu in mundo vivimus, sine tribulatione & tentatione esse non possumus*. Immo, *nemo tam perfectus est & sanctus, qui non habeat aliquando tentationes, & plenè eis carere non possumus*. Auget quæstionem communis hostis nostri ingenium vaferrimum, odium plus quàm inueteratum, artes & arma terrificæ; hominum simplicitas, viriumq; imbecillitas ad resistendum, experientia quotidiana succumbentium, etiam in vltimo mortis agone. Ut perinde hæc animi mors longè sit, quàm corporis magis metuenda. Quâ igitur iudicij diuini æquitate, aut quibus iustis de causis hæc contingunt?

I.

Iob. 7. 2

Lactant. lib. de ira. cap. 16.

Thom. de Kemp. lib. 1. de Imit. c. 13. 1.

Dddd 2 gunt?

gunt? Tentatus est David, & cecidit; tentatus Petrus, & Christum negavit; tentati reliqui Apostoli, & omnes, relicto eo, fugerunt; denique quisquis damnatus est hominum adulatorum, per tentationem in peccatum, per peccatum in infernum lapsus est. An non igitur præstaret, tentationes in Mundo nullas esse, cum, sicut occasio furem, ita tentatio videatur facere peccatorem?

II.

Hæc ipsa de permissione tentationum, tentatio maxima est, & quidam scopulus piorum; ita tentatio ferit tentationem. Sed multa sunt, è quibus ei fiat medicina. Primum est, si consideremus, ob quamnam causam, fomitem in nobis, concupiscentiasq; , & alios inordinatorum motuum fontes reliquerit Deus,

In vita Leonard. Lessij, quam Bruzellis edidit Thomas Courtois. c. 12. §. 64.

Nam, ut in vita optimi P. Leonardi Lessij legimus, Lessius has affectiones, tribus potissimum de causis, tamquam hereditarios hostes, post primorum scelus parentum, in nobis relictas volebat. Primo, ut propria miseria inopiaq; conscy, dum natio quodam pondere in calamitates ac scelera labi nos perficimus, deposito fastu, ipsos nos abijcimus. Deinde ut esset insignium victoriarum locuples materia, dum quotidiana militia aut vincere generosi, aut occumbere socordes cogimur. Tertio, ut auxiliares è calo & opes, & copias gerendo bello deposcamus, adeoq; utili quadam necessitate, Deo frequenter supplices, magno bono nostro accidere compellamur.

III.

Hæ causæ sufficiunt ad Deum non iam excusandum, sed laudandum, ob morbos animi tam utiles in nobis relictos. Deinde, si de interno malo loquamur, etiam atque etiam expendendum est, ferocissimum quidem esse, & maximarum virium infernum hostem, voluntateq; acerbissima, sed non minus in manu Dei Mundum gubernantis, atque cetera omnia. Sicut ergo diuina prouidentia mari posuit terminos; sicut continet flumina, imbres, tempestates, belluas, aliaque mala; ita etiam frenat diabolicam potestatem, eiusque vim intra certos limites cancellosque cohibet. Id eum posse, docet eius omnipotentia; id nosse, ostendit summa sapientia; id velle, demonstrat infinita bonitas & charitas: ut proinde non sine graui culpa sit, qui ei culpam ascribit; & crudeliter cogitet, quicumque eum accusat crudelitatis. Dolis pullulat orcus, ex astutijs confusus est caco-dæmon; fraudibus, mendacijs, violentia, blanditijs nouit

nouit